



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Leonibus, in pœnam, & gloriam hominis vti Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

à bestijs doceri, & puniri. 421

§. IX.

*Leonibus, in pœnam, & gloriam hominis,
uti Deum.*

Clarissimum est, quod supra de Ægyptijs attuli: illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filios autem tuos (ô Deus) nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Sap. 16. 9.

Atque ut in leonibus quoque id appareret, nonne Daniel, in lacu leonum, lapide & annulis regis ac optimatum, tota nocte, Dan. 7.

clausus fuit, & nulla læsio inuenta est in eo? jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt; ipsi, & filij, & uxores eorum: & non peruenerunt usq; ad pavementum lacu, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt? Ex quo factò perspicitur, Vide Aristot. l. 9. de hist. animal. cap. 44.

leones, qui Danieli pepercerunt, fuisse famelicos, fuisse liberos, nullo pallio obueltos, nulla consuetudine cicuratos, nullis beneficijs delinitos, nullis blanditijs permulso, sed diuinæ potentia miraculo cohibitos, ne in Prophetam irruerent. Vnde ipse ait: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi;*

D d 3 etiamsi

etiam si leones è lacu non amouerentur,
 etiam si oculi eorum nō fascinantur; cu-
 am si altissimo somno non sopirentur, An-
 gelus à Deo missus satis fortis fuit, vt os il-
 lis obstrueret, vt vngues cohiberet, vt fa-
 mem suspenderet, vt feritatem mitigaret.
 Quemadmodum autē diuinā prouidentia
 leones à Daniele cohibiti sunt, ita & sunt
 in impios calumniatores incitati, vt, mu-
 tata phantasia, illis Danielis æmuli, inte-
 riore sensu, repræsentarentur vel tanquam
 ipsis contrarij, & à quibus lædi possent, vel
 tanquam esca conueniens & pertinens ad
 pastum. Eodem igitur loco, atq; per easdē
 belluas, mundi Moderator demonstrauit,
 bestijs se vti ad hominum vel defendendā
 innocentiam, vel plectendam impietatem.
 Quod si autem etiam permittit Sanctos, &
 sibi charissimos, in theatris, tyrannorum
 imperio, à belluis lacerari; & sicut Antio-
 chenum illum Ignatium, à leonibus occi-
 di, maximo illos beneficio honorat. Tam-
 etsi enim, etiam per illos, posset *obturare*
ora leonum, affectè nihilominus, & pecu-
 liari amore, eos bestijs finit obijci, vt de
 atrociori prælio clariorem obtineant vi-
 ctoriam, & maiores triumphos mereantur.

Non

Non infert injuriam, qui offert meliora. Panis Christi fiunt, qui, Christi caussa, moluntur dentibus bestiarum. Deniq; sic in martyres euadunt, quo maius, in terris, nihil possunt adipisci, & quod ipsi flagrantissimis votis desiderauerunt.

§. X.

Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, ut maximis minima molesta sint.

Illud hic iteratò mihi dicendum est, retinuisse quidem hominem, etiã post patratum ab Adamo delictum, in omnes bestias dominium, non tamen ita plenum ac absolutum, vt priùs, & cum discrimine bestiarum. Etsi enim capere, occidere, & in victũ, aut vestitum, aut pharmacum, aliũmue in finem, omnes potest; non potest tamen, omnes perinde domare, ita vt, quemadmodum veller, cicurentur, & ad nutum illi famulentur; & penitus molestiam non creent. Excederet hæc felicitas miseriam exulantis. Qua de caussa, ait Hugo Victorinus: *Dominari quidem debuit homo omnibus animantibus, sed per peccatum amisit dominium, & in maximis, & in minimis. Retinuit tamen dominatum in medijs. Perfectiorem scilicet. Nam equos, & asinos, & bo-*

Hugo an.
not. in
Genes.